

XIII

IN LYCEN

Asclepiadeo-Pherecratico-Glyconicus

Audīvēre, Lycē, dī mea vōta, dī
Audīvēre, Lycē : fīs anus, et tamen
Vīs fōrmōsa vidērī,
Lūdisque, et bibis impudēns,

Et cantū tremulō pōta Cupīdinem
Lentum sollicitās. Ille virentis et
Doctae psallere Chīae
Pulchrīs excubat in genīs.

Importūnus enim trānsvolat āridās
Quercūs, et refugit tē, quia lūridī
Dentēs tē, quia rūgae
Turpant et capitis nivēs.

Nec Cōae referunt iam tibi purpurae,
Nec cārī lapidēs tempora, quae semel
Nōtīs condita fāstīs
Inclūsit volucris diēs.

Quō fūgit Venus, heu, quōve color, decēns
Quō mōtus ? Quid habēs illius, illius,
Quae spīrābat amōrēs,
Quae mē surpuerat mihī ?

Fēlīx post Cīnaram, nōtaque et artium
Grātārum faciēs ; sed Cīnae brevēs
Annōs fāta dedērunt,
Servātūra diū parem

Cornīcis vetulae temporibus Lycēn :
Possent ut iuvenēs vīsere fervidī,
Multō nōn sine rīsū,
Dīlāpsam in cinerēs facem.